



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 216. In quibus dicens Beatæ steriles & ventres quæ non genuerunt. v.  
29.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

§. 216. *In quibus dicens Beata steriles & ventres qua non genuerunt. v. 29.*

Homines solent putare se esse valde beatos si habeant matrimonium complacitum, & in eo obtineant filios & filias, quomodo ergo nunc beata steriles dicuntur? Ista est magna atque insperata metamorphosis, verum tamen primo quidem, quia steriles mulieres, adveniente obsidione & captivitate civitatis Hierusalem, erant agiliores ad fugiendum, quia tunc temporis multae virgines & steriles & magni est parvi affugerunt e civitate in specus & cavernas & montes, ut ibi salvarent se, ante omnimodam obsidionem, quod per multitudinem & amorem prolium aliae mulieres nuptiae non poterant, & ideo coactae sunt videre, miserabiliter proles suas vel fame vel gladio perire, etiam se ipsas cum suis prolibus, deinde steriles certe in aliis non patiebantur, ut matres & patres in patiente prole sua patiuntur.

O Deus miserabile est urbium vastatio; sed magis miserabilis hominis mors, & miserabilissima damnatio aeterna, o Deus salva nos maxime ab illo ultimo malo.

§. 217. *Et ubera qua non lactaverunt. v. 29.*

Audite novum Ecclesiasten in ipsa sua passione, in qua utique maxime verum dicit, si unquam, quia ibi ioco, vel non terio loqui nulla erat causa, quid girit ille Beatus pronuntiat, *qua non lactant*, id est castas, dicit beatas, quia sunt quasi lilia candidissima paradisi, quibus delectatur anima Christi, quod bene intelligentes discipuli, utiliter pugnant pro decore castitatis & dignam iudicant pati multos labores & angustias pro candore puritatis eius, *tenent gladios super humerum suum & praecincti lumbis* vigilant, ne unquam inquinentur stolae eorum quibus decorantur, & praeparantur ad nuptias agni Dei; difficulter numerati possunt vigiliae, jejunia, cilicia, & aliae corporis castigationes, quibus exercent se ad tuendum decorem puritatis, quae somno, cibo & mollietate solet offendi.

Deus cui castitatis devotio ita complacet, ut etiam in passione ad eam adhortari volueris, & beatos dixeris ventres, qui non genuerunt & ubera qua non lactaverunt, erue me ab homine isto malo, qui interiorena ad similitudinem tuam factum, per voluptatum illecebras fraudulentem querit subvertere, & per concupiscentiae blandimenta trahere me nititur in partem indignam, ab his igitur ad versarii insidiis libera me, *esto mihi in Deum protectorem*, & in locum munitum ut salvum me facias.

T

§. 218